

UM
RUM
E
EINZIA
UM



DIVITIARUM
EVANGELICARUM

Disquisitio Vicefima

PRÆSIDE

CHRISTIANO GUEINZIO

Gymnafii Hallenfis
Rectore


Respondente

MICHAELE DORFFELIO

Olsnic. Varifco

Dominicâ Letare

A.O. R. cl. Idc. IIII.



HALLIS SAXONUM

*Prelo Hæredum Melchioris Oel-
schlegely*



DIVITARUM
EVANGELICARUM

CHRISTIANO GÜNTZIO

MICHAELIS DORFFELIO

Fragmentation





ANALYSIS EVANGELII

Dominica Letare,

Joh. 6. à v. 1. usq. ad 16.

Προηγμένα

Elias inuit domum Sareptanae
vidua, & crevit oleum indefi-
ciens, uti habetur, 1. Reg. 7, 16.
Elisaeus solo jussu fecit manare o-
leum viduae alteri, quantum cape-
re, etiam sumpta mutuo, vasa poterant, 2. Reg.
4, 4. & seqq. Mira sunt ista. Mirus illud
quod panes viginti hordeaceos sic multiplica-
vit Dominus benedictione, ut centum viris
suffecerint, 2. Reg. 4, 42. At hoc miraculum
mirissimum, quod quinq. hordeaceis & 2. pi-
scibus satiavit quinq. millia hominum, su-
perq. adhucdum fuerint duodecim cophini
fragmentorum. Quemadmodum in hodierno

Kk

Evan.

*Evangelio habetur. Unde merito etiam ista
Dominica vocatur Lætare.*

THESIS 1.

Habetur autem in Eodem, partim populi auscultantis inopia, partim ejusdem alimonia. In illa notanda est tum circumstantia, quæ est vel generalis & est loci appellatio v. 1. In quo est in genere circumstantia temporis: Posthæc. Post nimium decolatum Baptistam Johannem, quod factum Anno ministerij Christi tertio, sub finem mensis Martij, & post Apostolorum reditum. Id quod factum sub initium mensis Aprilis, uti constat ex Marco & Luca. Ubi & ipsi insidiabantur, ex Luc. 9. 10. quia moleste ferebant Judæi, uti pretendebant, ipsum non debitum honorem Sabbatho dedisse, habet Cyrillus l. 3. in Joh. c. II. Ut discamus temporis circumstantiam in Historicis potissimum & factis non esse negligendam.

2. In specie notatur tum ab effectu, partim res ipsa: Abiit Jesus. Non fugit sed abiit, seu secessit. Innuit Evangelista, notante Hieronymo vitasse potius quàm timuisse persecutores. Ut discamus ipsum imitari. Quo Herodis & Phariseorum invidiam & furorem, quem

quem ex se audito, ortum credibile erat, extingueret, ut habet Chrysoftom. hom. 41. in Joh. Licitum enim est Tyrannorum furorem cauta secessione declinare, & nos Domino reservare, ait Cyprianus serm. 5. de lapsis.

3. Tum est accidens loci seu termini: Trans mare Galilææ Tiberiadis. In loco deserto, ut notat. Matth. v. 13. in quem cum discipulis navigio abiit seorsim. Marc. v. 32. Ex uno nempe sinus anfractu ad alterum. In Palestina vero tres erant lacus vicini. Et in Scriptura noti: 1. Asphaltites conflagrationis Sodome vestigium tribus à Galilæa milliari- bus distans, 2. Aqua Merom sive Samachonitis lacus ultra Galilæam, & 3. lacus Genesareth, qui hic Tiberiados vocatur à Tiberiade urbe adiacente, quam Herodes Tetrarcha edificarat in honorem Tiberij Cesaris, uti habet Josephus l. 15. Antiquit. Judaic. c. 3. Unde & Tiberias appellata. Olim vero Cinnereth dicta, vel à sono, vel à figura Cinereth Num. 34, 11. Deut. 3, 27. Joh. 11, 2. Propterea vero Hierosolymis non in finitimam regionem veniebat, sed trans mare Tiberinum abiit, ut re ipsa Judæis intimaretur, tam longè se propter impietatem eorum ab eis migraturum, ut inaccessibleis ad Eum via futura sit; Facilis qui-

dem ac plana via iustitiae est omnibus: Aspera
 verò & ardua, qui sua incredulitate Domi-
 num irritant, ait Cyprianus l. 3. in Joh. c. 116
 simulq; transit de loco in locum, probans stu-
 dium multitudinis, habet Theophylactus
 quia ignaviores manebant in suis locis, studio-
 siores verò sequebantur.

4. Et populi congregatio v. 2. In
 quo causa impellens sequentis miraculi, par-
 tim remotior, cujus effectus: Et sequeba-
 tur eum turba multa. Matth. 14, 13. & Marc.
 6, 33. dicitur, hanc turbam Christum itinere
 pedestri ex omnibus finitimis locis ex Galilaea
 secutum fuisse, tantà celeritate, ut Christum
 navigio usum prevenerint: nempe cum ab in-
 frenato Iudaeorum populo ad alienigenas per-
 venit, tum magna eum turba sequebatur, ha-
 bet Cyrillus dicto loco c. 12. Priusquam
 quidem Dominus appeteret in carne, non so-
 lum illum gens Iudaea sequebatur credendo;
 postquam verò per incarnationis suae dispositio-
 nem fluctus vitae corruptibiles calcavit, transit,
 maxima mox eum secuta est gens nationum, ait
 Beda. Ut discamus aequè Christum fideliter se-
 qui: neminem enim hic hospes ad se venientem
 eiecit. Joh. 6, 37.

5. Tum est eius causa finalis. Quia
 videbant eius signa quæ faciebat super in-
 firmos. Multa enim & diversa miracu-
 la in Christo erant facta. Et quamvis dica-
 tur Joh. 6, 26. propterea ipsum quesitum
 fuisse, intelligendum tamen eum in finem ut
 Christum verum mundi Salvatorem agnosce-
 rent, non ut salum se à morbis & anima ma-
 lis liberarent. Audis ergo, inquit Cyril-
 lus, eos signis commotos magno studio sequu-
 ros fuisse, à miraculis ad cognitionem eius pro-
 gredientes, & à potestate quâ ut Deus uteba-
 tur, divinos eius honores conferendos intelligen-
 tes; Neq; propter signa simpliciter Christum
 mirabantur, sed additur propter signa, quæ in
 infirmis agrotiq; faciebat. Contrarius igitur
 animus istorum, ut puta Judæorum, animo
 ostenditur: Illi propter curationem agroti ve-
 hementius turbabantur; isti non solum talia
 signa mirantur, verum etiam propter hæc qua-
 si Deum sequuntur. Ut discamus primos Chri-
 stianos miraculis motos ut crederent: quo nos,
 quia omnia ista impleta, sicut in eis libris legi-
 mus, qui longum antequam hæc implerentur,
 conscripti sunt, ubi omnia futura dicebantur
 & presentia jam videntur, adificemur ad fi-
 dem, ut etiam illa, quæ restant sustinentes &

perseverantes in Domino sine dubitatione ventura, credamus. habet August. de catech. c. 24. Quisquis verò prodigia, ut credat, inquit, magnum est ipse prodigium qui mundo credente non credit, ait Idem l. 22. de civit. Dei c. 8. Ut discamus sequi Christum, quia facta miracula sunt, non quia futura.

6. Specialis in montem migratio ab effectu v. 3. In quo tum notatur locus: Subiit autem in montem Jesus. Qui fuit mons desertus non procul à Bethsaida Luc. 9, 10. Marc. 6, 32. quippe delectatus est Christus montibus, ut qui transfiguratus in monte, captus in monte, à monte in cælum ascendit. Proinde non quasi humiliter iacet, quod in monte factum neq; transeunter pretereundum, habet Aug. tr. 24. in Joh. Ut discamus ascendere, non descendere.

7. Et situs: & ibi sedebat cum discipulis suis. Vel ut à laboribus respiraret, & paulatim requiesceret, vel ut ibidem precaretur. Assidet hic itaq; Praeceptor discipulo, pastor oviculis, gallina pullis, docens eum, qui DEO vult servire ab omni sollicitudine vacare, & quietum locum quærere oportere, habet Chrylost. hom. 47. Debemus ergo oculos ad montes attollere, unde venit auxilium nostrum

nostrum Psal. 21. Quod soli vero in montem cum ipso discipuli ascenderint arguit populi desideriam, habet Chrysoft. hom. 41. & Theoph. Adhæreamus itaq; & nos Christo per patientiam, imitemur & nos patientissimos discipulos, qui ipsum nunquam deserebant. Sequamur & nos ipsum fugientem & in montem ascendamus, & ibi cum eo sedeamus, id est ut ad sublimem gloriam veniamus & cum eo simul regnemus, ait Cyrillus. Præterea nos admonet à perturbationibus & tumultu secedendum & respirandum esse.

8. Et specialis temporis denotatio v. 4. In quo notatio: Erat autem proximum Pascha. Quo significatur definite instituisse festum, quod fuit tertium Pascha à Baptismo Christi respectu ejus ministerij. Nam 4. Paschata fuerunt 1. enim fit mentio Joh. 2, 23. secundi Joh. 5, 1. tertium fuit præsens, quod ipse non visitavit, sed duodecimo ante hoc Pascha die, qui fuit Jovis & quidem 3. Aprilis est miraculum factum teste Barth. Sculteto. In quarto Christus est passus & mortuus. Et notandum in festo Paschatos multa edidisse Christum miracula, ut verum festi finem monstraret, qui est post Dei cultum, benefacere, ut habetur Jac. 1, 27. Atq; ita Hiero-

solymam non ascendit, sed descendit in Galileam, quia non ultra erat praeceptis legalibus obnoxius, ut festos dies persiceret, sed occasionem apprehendit ut paulatim legem abrogaree ostendens animadvertentibus cessasse figuram ut adveniret veritas, habet Chrysoft. hom. 41. in Joh.

9. Et nominatio: estq; Festum Judaeorum. Quod quemadmodum illud ipsum in memoriam phase seu transitus & eductionis ex Aegypto per mare rubrum Exod 12, 11. erat solenniter celebrandum Num. 28, 16. Atq; ita appropinquante Pascha Dominus appropinquat, ut interna munerum suorum suavitate nos ad salubrem transitum praearet, concupiscentiam mentis sublimitate transcendat, infirma mundi desideria caelesti spe & amore conculcet, ait Beda.

10. Sequitur miraculi praeparatio, partim respectu Christi & quidem discipulorum interrogatio v. 5. In quo subjectum modificatum; tum attollens autem Jesus oculos. Quod sexies legitur fecisse quando magna praestitit. Sic tollit Oculos Lazarum, suscitaturus Joh. 11, 41. patrem invocaturus Joh. 17, 1. discipulos informaturus Matc. 7, 34. Et hic populum refecturus; oculum scilicet boni-

bonitatis & pietatis arrolens. Oculus est boni-
tatis quia miseretur, oculus est potestatis quia
prestare valet, divina etiam benignitatis est
iudicium, quia videlicet cunctis ad se venire
cupientibus gratia misericordia cœlestis occur-
rere adsuevit, & ne querendo errare possint,
lucem sui spiritus carentibus aperire solitus est;
nam quod oculi Iesu dona Spiritus eius mysti-
cè designent, testatur Apoc. 5, 6. ait Beda su-
per hoc Evangelii. Sublevaris igitur oculis
Christus eos videt, qui visitari ab eo digni
sunt, ait Cyrill. l. 3. in Joh. c. 13. Ut disca-
mus, addit Theophylactus, quod non solitus
sit oculis hinc inde vagari, sed compositus & at-
tentus sedere, utpote docens discipulos divina
quadam.

11. Tum: est intuitus. Hoc est ac-
curatè & studiosè observavit, quemadmodum
alij Evangelistæ addunt ipsum motum fuisse
corde, Matth. 14, 14. Ut discamus Christum
omnia cernere & observare.

12. Objectum, quod amplificatur
partim à quantitate: quia multa turba venit
ad eum. Per quam tactus est misericordie
affectu; Marcus ait, quia errant velut oves
non habentes pastorem. Sacerdotes quidem po-
pulo suo prefecerat, sed illi se curabant. Ideoq;

super ea turba motus, dum vidit & esurientem cognovit.

13. Partim communicatione Rhetorica ratione modi: Dicit ad Philippum, unde ememus panem? Cum Philippo vero communicat, postquam quod Mathæus, Marcus & Lucas habent, discipuli rogarunt, quo turbam dimitteret, quia Philippus libenter discerebat, querebatq; sepius, sed non erat adeo acutus, ut altiora posset intelligere. Rudiores ergo ad sublimiora ingenio consequenda & ad fidem vocans & roborans rogat, habet Cyrillus & Chrysostomus. Vel quia Philippus e Bethsaida oriundus ea loca magis habebat explorata quam alij. Ut discamus simpliciores & infirmiores sepius esse interrogandos. Interrogat itaq; Philippum, ut ait August. tr. 34. in Ioh. ut illius ignorantiam demonstraret, simulq; querit ut paupertatem discipulorum ostenderet, ait Cyrillus, & ut miraculum magis appareret, & coactus confiteri penuriam, ut melius miraculi magnitudo intelligeretur: nam eum admirabile aliquid & repentinum quoddam, priorum nonnunquam oblivionem facere soleat, primum eum propria confessione allegari voluit, ut nullo stupore oblivisci jam possit, ait Chrysost. hom. 41. in Ioh.

14. Et

14. *Et ratione finis seu termini: Ut manducent isti. Cum enim esset serum diei, & locus desertus, noluit illos carere. Atq; ut optimam disciplinam & sacris consentaneam viris, modo Christus discipulis proponit; Nam etiam in montibus & desertis docuit nos paratos esse oportere ad hospitalitatis virtutem, quâ quidem re, quid homini, qui Dei caritatem assequi velit, majus excogitari potest, querit Cyrillus l. 3. in Ioh. c. 17. Ut ita monerentur doctores quo prompti sint, quovis tempore ad predicationem Evangelicam 1. Pet. 5, 2. ut curam etiam pauperum habeant, neq; enim quarentibus regnum Dei defutura sunt mundi necessaria Psal. 33, 18. Matth. 10, 9. 1. Tim. 4, 8.*

15. *Et Ejusdem est tentatio v. 6. In quo declaratur: hoc autem dicebat tentans eum. Cui ergo bono tentabat, inquit Aug. tr. 28. in Ioh. nisi quia discipuli ignorantiam demonstrabat? Non ad malum; Sic enim, Deus neminem tentat Iac. 1, 13. sed Diabolus Matth. 4, 3. Caro Iac. 1, 14. Mundus 1. Pet. 2, 5. & 23. licet permittat, sed tentatio probationis est ad bonum, quæ Dei propria est, non deceptionis aut seductionis ad malum: illius ut fidem & profectum in divinis, ut & reliquorum*

rum exploraret; probationem fidem faceret,
 & omnibus presentem cibarium penuriam
 manifestaret & subsequens miraculum illu-
 strius redderet: ita tentavit Deus Abraha-
 mam Gen. 22, 1. Jobum Job 1, 12. Israelitas
 Deut. 13, 3.

6. Tum demonstratur: Ipse enim
 sciebat, quid esset facturus. Ita non ignora-
 tionis est, sed certissima cognitionis, ait Chry-
 sostomus: nam interrogamus aliquando quod
 nescimus, audire volentes, ut discamus; ali-
 quando quod scimus, scire volentes utrum
 & ille sciat, quem interrogamus. Virumq;
 hoc noverat Dominus. Et quod interrogabat,
 sciebat, & quid esset facturus, ipse noverat,
 & hoc nescire Philippum sciebat similiter, ha-
 bet August. tr. 28. in Ioh. Probationis ergo
 est, non reprobationis, habet Bernh. in Nativ.
 Mariæ.

17. Respectu Apostolorum quoad
 Philippum est ejusdem computatio v. 7.
 In quo responsio: Respondet ei Philippus.
 Quia ipse erat interrogatus vel quia Philippus
 è Bethsaida ortus; vel quia libenter discebat,
 vel quia majore indigebat eruditione, habet
 Theophylactus.

18. Et ejusdem ratiociniam desumptum à proportionem inter apparatus & cibandum populum, ubi numerus per negationem. Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis; Et est denarius octava pars uncialis seu Joachimici ut sint tres grossi cum dimidio, & ducenti denarii 25. unciales, quem ad modum quidam volunt: quamvis alij arbitrentur denarium esse idem quem Zuz dixerunt, & potuisse pro denario tantum emi, quantum uno die pro decem hominibus sufficisset ex Ariamontano. Atq; ita Philippus respexit Arithmeticam & Physicam, non Christi miserentis potentiam & clementiam, ait Cyrillus lib. 3. c. 14. Sicq; tantum ad externa respicit media.

19. Et effectus: ut unusquisq; eorum modicum accipiat. Licet enim emeretur pro pecunia panis pro ducentis Zuzim cibari potuissent duo tantum milia virorum. Ut discamus nostram in divinis operibus noscendis & judicandis rationem cæcā esse Tit. 3, 3. Ioh. 1, 5. Inde tamen nemo colligat tabulas excepti & expensi non esse faciendas; siquidem distinguendum inter prudentiam & diffidentiam ex Sir. 42, 7. simulq; colligatur discipulor Christi habuisse pecuniam: id quod & Mar-

Marcus testatur c. 6, 27. Luc. 9, 13. Ioh. 4, 8.
 Neq³ Christus unquam mendicus fuit, licet
 pauper, non ad imitationem nostram, sed ut
 nos ditaret 2. Cor. 8, 6.

20. Et respectu Andreæ, cuius deno-
 minatio ab officio: dicit ei unus ex discipulis
 eius. Qui forsan inquisivit in populum, ut
 videatur prudentior quàm Philippus, secun-
 dum Chryostomum.

21. Et in specie à nomine relato: An-
 dreas frater Simonis Petri. Qui æquè statim
 cum Christo fuit, & ita precessit Andreas Phi-
 lippum, non tamen ipsum cacumen evasit, ha-
 bet Chryost. hom. 41. in Ioh.

22. Et ejusdem supputatio v. 8. In
 quo partim assertio quoad subjectum: Est
 puerulus unus hic. Atq³ ita deminutivum
 ponit, ut suam quoq³ diffidentiam demonstret,
 puerulus alias dicitur à Patribus Moyses fa-
 mulus Dei. Ut discamus Christo puerulos of-
 ferre panes, quos grandiores non habent; ne
 parvos contemnamus.

23. Quoad objectum, & quidem re-
 spectu primarij: Habens panes quinq³.
 Nempe per quinq³ panes intelligitur partim
 panis corporalis & quotidianus, Gen. 3, 19.
 partim spiritalis ex Deut. 8, 3. partim af-
 fectio-

523
fictionum & lacrumarum Ps. 80, 6. Tum
tribulationis, & Eucharisticus, qui ut de caelo
venit, ita nos quoque caelo unit Ioh. 6, 50. Alij
per quinque panes veterem legem intelligunt, ut
Augustin. l. 83, quaest. quaest. 61.

24. Respectu obsonij: & duos pisces.
Quos assatos fuisse colligitur ex origine vocis
ὀψάριον, cum ὀπάω idem quod assare, Ioh. 21, 9.
solebant enim pisces assatos venum exponere:
nam pisces fuisse constat ex aliis Evangelistis.
Simulque Prophetarum & Iohannis predicationes
intelliguntur, in operibus enim legis tan-
quam pane erat vita; predicatio autem Iohannis
& Prophetarum in virtute aquae vitae
humanae spem conferebat, ait Hilarius in
Matth. can. 14. Ut discamus obsonia non im-
probari. Interim colligitur frugalitas: quic-
quid enim naturam excedit, dicebat Seneca
Ep. 19. scias precarium esse, non necessarium:
quia, quod habet Socrates, qui frugaliter vi-
vunt, longè habent plus voluptatis, quam in-
dulgentes genio, uti alias monstrant exempla
Sacra & profana. Unde leges quoque sunt sum-
ptuariae, notante Macrobius. l. 3. Saturn. c. 17.
Sueton. in vit. Iul. Cæs. l. 1. c. 43.

25. Et per comparisonem interro-
gatione Emphaticâ: sed quid hæc inter tot?

Ac

Ac si diceret nulla inter panes & pisciculos
 hosce duos & inter tantam multitudinem est
 proportio. Qua verba extollunt miraculum,
 ac faciunt ut majores Christi vires videantur,
 cuius virtute mox tanta multitudo ad saturi-
 tatem erat perventura: ita incredulitatis illa
 vis in certius conversa testimonium fuit. Ut
 discamus rationem nostram omnino cœcusi-
 re in talibus, nec statim de auxilio divino de-
 sperare, quia transgreditur fides humana ra-
 tionis fines, nature usum experientia termi-
 num, habet Bernh. serm. 26. super cant.

26. Sic fuit cibi inopia: sequitur ali-
 monia, cuius antecedens est populi manda-
 ta ordinatio v. 10. In quo causa efficiens:
 dixit autem Iesus. Et quidem pro innata si-
 bi mansuetudine non increpat homines, nec ul-
 lo modo reprehendit discipulos tanta pusilla-
 minitate affectos, sed rebus fidem inducit, qua-
 si significare videtur: O tardi ad intelligendum
 vires meas, & percipiendum, quis vobiscum
 loquatur.

27. Adjuvans in mandato: Facite ho-
 mines discumbere. Syrus addit omnes, ut vi-
 deatis quo miraculo illos saturabo, habet Cy-
 rillus l. 3. in Ioh. c. 16. Ut discamus Deum non
 esse Deum confessionis, sed ordinis 1. Cor. 4, 33.
 &

Et studeamus ipsi quoque ordini: simulque notetur quod Christus noster verus sit Deus.

28. Forma, quæ concernit tum locum: Erat autem gramen multum eo in loco. Et licet χορτὸν fœnum denotet 1. Cor. 12, 3. tamen cum apud Marcum c. 6, 39. dicatur χλωρὸς χορτὸν, viride gramen intelligitur: ver et enim fuit appropinquante Paschate; non ergo fœnum, sed gramen intelligendum. Atque ita cum quadam voluptate suscipiunt. Id enim nobis, in quo discubuerunt, gramen ostendit, ut merito grates, quos tali gratia est dignatus agant; Et illud dicant: in loco pascuæ me collocavit. Magna certe voluptate ac copiâ donorum Spiritualium Sanctorum mens nutritur, Idem Cyrillus. Is autem hospes Christo acceptus, qui mundum Et ejus flores omnes, ait Hieronymus, seculi hujus, videlicet voluptates pedibus calcat, Et cenarens fœnum sibi subjicit. Interim tamen Et talia loca placeant Deo.

29. Quoad modum, ubi discubitus: Discubuerunt ergo viri. Lucas addit κερταὶ συμποσία: seu τετραγώνια secundum areolas quadratas, in quibus olera feruntur. Semper quinquageni in latitudinem, Et centeni secundum longitudinem. Ubi partim notatur obedientia

dientia, & in Apostolis & in populo, simulq;
 etiam declaratur, quare soli viri numerentur
 ab Evangelista: secundum legis scilicet consue-
 tudinem, uti & Moyses à 20. anno & supra nu-
 meravit populum, nulla mentione facta mu-
 lierum: quo doceatur omne quod virile seu iu-
 venile dignum censi, ut numeretur apud
 Deum, habet Theoph. l. 3. in Joh. Ita veritas
 & constantia & qua nullam puerilem seu mu-
 liebrem in bonis levitatem, in libro Dei con-
 scribitur: spirituale quiddam docuit enigma-
 ticè, simul innuens, omnibus qui viriliter fidem
 ac probitatem amplectuntur, non imbecilibus
 aut mollibus coelestem à Deo cibum praberi;
 nam qui muliebri sunt animo, nihil magni co-
 gnoscere possunt, ait Cyrillus. Ita autem voluit
 homines quò discumberent, 1. quo eo melius di-
 stributio fieri posset, 2. ut numerus discumben-
 tium eo melius cognosceretur, 3. ne ullus in
 tanta multitudine prateriretur; ceteri vero
 pueri & mulieres adstiterunt.

30. Et numerus; quasi quinquies
 mille. Prater nimirum pueros & mulieres,
 ut notat Matth. v. 21. Quo vel maxime mira-
 culi maiestas commendatur: nam servi, mu-
 lieres, & parvuli tanquam ignobile vulgus sine
 numero pratermittuntur. Hier. in Luc. c. 4.

31. Tum

31. Tum est cibi consecratio v. II. In quo respectu Christi eius ostenditur effectus absolute: Accepit autem panes. Dominus quidem ex nihilo potuisset panes facere, qui populo sufficerent; attamen ne videretur creatura non esse ex ipsius sapientia, ipsa creatura usus est in materiam miraculorum. & acceptis quinq; panibus ceu materia quadam, preclarum istud miraculum fecit Theophyl. in Joh.

32. Conditionate: & gratias agens. Partim ut exemplo se nobis prebeat, partim ut natura Deitatis virtutem miraculi, sicut homo, tribuat, ait Cyrill. l. 3. in Joh. c. 17. Gratiarumq; agens ostendit, quod ante cibum grates agenda sint Deo. Insuper quia turba multa aderat, ideo coram turba gratias agit, ut persuadeat omnibus quod secundum Dei voluntatem advenerit, quod non sit adversarius Dei, sed omnia referat in patrem. Nam quando seorsim facit miraculum, nihil tale facit, etiamsi majus quoddam faciat: quando autem coram multis miraculum operatur, tunc ad Deum respicit. Ostendit autem quod non ex infirmitate hoc faciat, sed propter dispensationem & auctoritatem quandam. Dicunt etiam quidam, quod propter hoc gratias egerit Deo, ut ignoraretur a principe mundi usq; ad tempus passio-

nis, & ex hoc Damon non cognosceret esse Deum, sed ita deciperetur & inescaretur, habet Theophyl. Ita & cibum nobis cum gratiarum actione sumendum esse Paulus precipit 1. Tim. 4, 4. Siquidem mensa ab oratione sumens initium & in orationem desinens nunquam deficiet: sed fonte largius omnia bona nobis afferet: ne tantum itaq; prætermittamus emolumentum, mandat Chrysostr. hom. 9. 7. ad populum Antioch.

33. Et distribuit discipulis. Sed quam gratia non dedit turba sed discipulis? quoniam hos magis erudiri volebat, qui totius orbis magistri erant futuri, habet Chrysostr. hom. 41. in Ioh. & quia testes esse debebant majestatis Christi. Ut discamus ministerio esse utendum.

34. Respectu discipulorum absolute: Discipuli vero discumbentibus. Mysticum est hoc quod & manducans populus satiatur & Apostoli ministrant. Nam & satiæte repulsa in perpetuum famis indicium designatur, quia non esuriet qui acceperit cibum Christi, & in Apostolorum ministerio futura divisio dominici corporis sanguinisq; præmittitur Ambros. l. 6, in Luc. c. 9.

35. *Et conditionatè: Et similiter ex piscibus quantum volebat. Atq; ita non solum panem ex potentibus Christi manibus acceperunt, sed etiam obsonia; multiplicataq; ista in omnium manibus. De Christo Marc. v. 41. de discipulis Ioh. v. 11. etiam de populo idem Hilarius l. 3, de Trin. Ut discamus Deum nos adhucdum cibare. Quis enim pascit mundum, nisi ille qui de paucis granis segetes creat, & in manibus suis quinq; panes multiplicavit, habet Aug. tr. 24. in Joh. Sustentat nos per media ordinaria & saepe exigua dum benedicit, uti promisit, Ps. 132, 15. Exempla testantur ut vidua Sareptana 1. Reg. 17, 6. Sunamitidos 2. Reg. 4, 6. Auditorum Elisai 2. Reg. 4, 40. Quin saepe per media nulla ex sola potentia & bonitate. Ut discamus acquiescere in voluntate Dei.*

36. *Consequens est tum fragmentorum congregatio v. 11. In quotum tempus: Ut autem saturati sunt. Quis unquam audivit talia? Elisa viginti panibus cibavit centum homines 2. Reg. 4, 43. Sed quid hoc ad presens miraculum? Non sunt panes nisi quinq; & saturantur plus millibus quinq; illi edunt, panes crescunt, certamen fit inter panes & homines: vincunt panes superantur homines, illi*

sufficiunt, isti deficiunt, & nisi homines manducare cessassent, in infinitum crevissent, habet Eusebius. Unde Matthæus inquit: quod saturati fuerint & comederint omnes, etiam mulieres & pueri. Id quod ad signi veritatem & excellentiam plurimum facit. Ut discamus victum necessarium non deesse illis, qui toti in cognoscendo verbo Dei Matth. 6, 33. non enim inquit Psalmista Ps. 37, 25. vidi iustum derelictum & semen eius panem quærens.

37. Tum est effectus, qui continet partim mandati formam: Dixit eis colligite fragmenta superabundantia. Unde, non vitiosissime additum est in antiqua versione, quæ superaverunt, sed verissime. Ne enim quis putaret miraculum præsens fascinum fuisse: ideoque iubet Dominus, ut Apostoli ad ovum redirent, & colligant, quod saturatus quisque comedere non potuerat. Moyses quidem magna suppeditabat, sed tantum ad necessitatem: hic superest, ut reliquæ etiam absentibus de veritate huius miraculi testarentur. Inde Cyrillus, videbitur quidem Christum discipulos parsimoniam quadam iussisse, ut colligerent fragmenta. Sed ad hoc pusillaminitatis opus, non dico Christus, sed nemo aliorum paulo liberior descendisset; Magnum itaque factum dispensa-

satione, & miraculi novitas majorem auditoribus infert stuporem. Quin & liberalitas hoc miraculo nobis commendatur & quasi voce magna, habet Cyrill. l. 3. c. 18. in Ioh. dicitur; quanto plura dabis libentius ac misericordius, tanto largius tibi plura confluent. Fac ergo libenter, addit: Frange panem tuum esurienti. Quando enim misericors eris si hac in vita tenax fueris? querit idem l. 3. in Ioh. c. 18. Et commendata est ista provincia colligendi discipulis, quorum opera & ministerio in distributione usus fuerat. Monemur verò de frugalitate & parsimonia, ne dilapidemus omnia; quia 1. colligere fragmenta Christus imperat, 2. fragmentorum requirit ratio, 3. quia utilitas poscit. Magnum cercè vedligal est parsimonia, 4. detrimentum exigit; alias enim substantia evacuat. 5. necessitas cogit. Colligamus cum formica Prov. 6, 6. cum Iosepho Gen. 41, 33.

38. Tum est finalis causa: Ne quid pereat. Sed ut adserventur in usus futuros. Ut discamus prodigalitatem fugere, sive simus in statu Politico: propterea enim dicuntur Salvatores populi Gen. 50, 20. Patres patrie Gen. 41, 43. Pastores gregis El. 44, 28. Sive in Oeconomico, cum iisdem & ipsi gaudeant.

titulis: seu deniq³ in statu Ecclesiastico ut meditando, exercendo ea retineamus, quae antea nos cibaverunt, dum turpe est dicere, se antea scivisse & tamen omnium oblitum esse. *Asservanda sunt fragmenta, non negligenda.*

39. *Tum est cophinorum coacervatio v. 13. In quo ab effectu summam collectio: Collegerunt ergo. Nempe discipuli, quorum prompta hic notanda est obedientia, qui non detrectarunt hunc laborem, quem admodum quidam qui nec apponere volunt cibum nec reponere, quod tamen fecerunt Christi discipuli. Ut discamus obedire superioribus & libenter servire.*

40. *Et impletio: Et impleverunt duodecim cophinos. Per quos non intelliguntur canistra, uti quidam distinguere volunt à sportis cum & Matth. 10, 37. dicantur sporta, fueruntq³ κλάσματα magna frusta, non mica. Simulq³ notat Nicephorus l. 7. c. 49. Constantinum primum columnam insignem prope urbem Byzantinam erexisse, & duodecim cophinos in perpetuam miraculi memoriam inibi suspendisse. Duodecim verò sunt pari cū Apostolis numero, ut singulos singuli bajulando laborem miraculi testem subirent: humerusq³ habet Basilii orat. 33. dum teritur rei gesta sensum*

sensum ingerat, & memoria fatigatione conservetur. Nam profusior quam necessitas postulaverat, auctoris potestatem testatorem facit.

41. Et sigillatim, quoad materiam: ex quinque pauperibus hordeaceis, qui superfuerant comedentibus. Postquam enim saturati, sunt collecta fragmenta. Ut discamus non a collectione initium esse faciendum, nondum exsaturatis iis, quos divina benignitas pascere jubet.

42. Et quoad fructum tum est populi laudabilis testificatio v. 14. In quo occasio: Illi ergo homines videntes quod fecerat signum Jesus. Atque ita agnoscunt illum esse verum Prophetam, quod ediderat signum. Dum vident signum, testantur incredibilem aviditatem! majora quippe his miracula & quidem innumera operatus erat Jesus, neque hoc unquam confessi, nisi nunc exsaturati, habet Chrysost. hom. 41. Quam multi ergo non querunt Jesum, nisi ut illis faciat bene, August. tr. 25. in Joh. conqueritur.

42. Et confessio: Dicebant hic est verè Propheta venturus in mundum. Quem Deus nimirum per Moysen promiserat Deut. 18, 18. Unde constat quod Prophetam
alium

alium ex signis expectaverint: in quo non peccant, sed ad stipulantur potius Baptista Joh. 2, 4. Samaritana Joh. 4, 19. & Naiticis civibus Luc. 7, 16. & Cleopha Luc. 24, 19. Maius quidem est miraculum gubernatio totius mundi, quam saturatio quinq; millium hominum, & tamen hoc cognitus & laudatus magnus ille Propheta. Ut discamus nos debere veritatem contestari: & ut observemus etiam eam ipsam ab invitis etiam publicari.

43. Respectu Christi evitatio v. 15. In quo causa impellens: JESUS ergo cognoscens. Tanquam omniscius & καρδιωγώγης. Ut discamus Christum esse verum Deum dum novit cogitatus & consilia.

44. Effectus, respectu populi, quoad modum: Quod venturi & rapturi eum essent. Laudabilis quidem videtur sententia illorum, potissimum quia senserant ejus benignitatem; interim tamen turbulentum erat propositum dum vi quasi hoc conati sunt facere. Ut discamus talia consilia esse imprudentia.

45. Quoad scopum: Ut facerent eum regem. Quis enim dubitaret hunc potentissimum esse regem, qui totius orbis habet imperium? habet Lactantius l. 1. de fals. rel. c. 3. Sed volebant, licet dicerent esse Prophe-
tam,

nam, non spiritualem; verum mundanum, qualem Messiam fore ex prava institutione Pharisaeorum somniarunt, ut ex Romanorum potestate liberati sine labore victum acquirere possent: atqui non erat talis rex, qui ab hominibus regnum acciperet, sed talis, qui hominibus regnum daret, inquit Aug. tr. 25. in Joh.

46. Respectu Christi: ubi in genere: secessit iterum. Vt testaretur se nolletalem esse regem; cum idcirco in carne apparuisset, ut nos per passionem redimeret. Eoq; ipso, Gregorius M. pastoralis l. 1. c. 3. docuit exemplum se sequentibus prabens, ut membra ejus discerent favores mundi fugere, & humanas dignitates non affectare. Sicq; quod Cyrillus habet, mundi gloria illis fugienda, qui Dei gloriam consequi volunt. Quo enim gloria magis affectatur, eo minus apprehenditur, ubi affectare deprehenditur, inquit Bernh. Ep. 126. Certè nemo potest affectare Bernh. in modo benevivendi ad sororem c. 8. simul gloriam Dei & gloriam seculi. Multo minus simus inanis gloria cupidi, ut imonet Paulus Gal. 5. 26. Vt discamus ambitionem fugere potissimum, si simus in sacro ordine, cum videamus Christum noluisse, sed alius servuisse.

47. In specie, quoad locum: *In montem. In quo docuerat populum. Quia vero simile est ipsum finita concione cum populo in planitiem descendisse de monte.*

48. Et modum: *Ipsse solus. Qua in re, inquit Aug. de consens. Ev. c. 8. nihil mihi aliud videtur animam rationalem commovere potuisse, nisi eò se nostræ menti rationiq; regnare, quò est in excelsis, nulla cum hominibus communiione natura: solus quia unicuique Patris: uti solus etiam in cœlum ascendit oportuno tempore multo expressius regnandi demonstrationem conservans, ait Cyrillus in Joh. 1. 3. c. 20. Atq; ita populum dimisit, Matth. 14, 23. Apostolos in navem coëgit Marc. 6, 45. Ipse solus montem ascendit, ut orationi vacaret Marc. 6, 46. Ut discamus orari secessum querere & alia precum impedimenta removere Matth. 6, 46.*

NOTÆ.

I. *Sublatis oculis] considera Christum sublevasse oculos in cœlum & respexisse populum; ut discas salutem querere in cœlis, & non negligere proximi commodum.*

II. In

II. In gramine discum bentibus] Considera non cibatum populum nisi discumbentem in gramine; Ut discas humiliter de te sentire.

III. Collegerunt] Considera multiplicatos panes fuisse dum distributi; Ut discas, communicare proximo & multiplicabuntur bona indies.



CASUS.

An rationum libelli instituendi?

Non videntur: quia 1. Christus hic sollicitudinē Philippi & Andrea videtur improbare dum textus habet tentavit.

2. Quia parit diffidentiam de providentiā DEI

3. Quia aliās ratio arbitrio boni viri fieri debet, ait Bald. in l. voluntatis n. 2. C. de fidei com. Menoch de arbit. cas. 209. n. 12. Mascard. concl. 263. n. 9. decis. Gennu. 163. n. 14. quod tam rigorosum non est.

Contra: DEUS I. in verbo suo mandavit & ut fiant libelli acceptorum, expensorum Sir. 42, 8. ubi expressè ita legitur:
Quum

*Quum trades, trade numero & pondere,
& datum & acceptum omnia & de scripto
habe.*

2. *Fussit ipse DEUS, ut colligerentur
fragmenta, & quidem in certos corbes.*

3. *Quia omnes tenentur ratio-
nem reddere, tutor & curator l. 1. §. offi-
cio ff. de tut. l. advers. C. de admi-
nist. negocior. gest. l. 2. ff. de negoc.
gestis.*

*Factor Barbat. conf. ult. dub. 4.
vol. 3. Socinus. Socin. conf. 37. per to-
tum. Jason. conf. 4. n. 1.*

*Hospitalarius & exequutor testamen-
ti Molin. in conf. Paris t. 1. §. 6. Glos.
6. n. 5. Capitulum Rubeus conf. 131.
n. 13. Menoch l. 2. Arbit. c. 209. n. 8.
Parochus patrono Ecclesie, Rebuff. in
tract. congrue portionis n. 40.*


*Consules & Rectores civitatum
Socin. conf. 73. Episcopus judici ordina-
rio de pecunia à testatore relicta l. nulli C.
de Episc. & Cleric. Quin ad actum red-
dendi rationem, etiamsi non antea in usu,
tamen quilibet administrator compelli pot-
est*

est, uti voluit Afflictis in Constit. Sicil.
 que incipit, minoribus Chassanæus in
 consuetud. Burg. Rub. 6. §. 6. Guido
 Papæ decis. n. 631. Etiam si summus Pon-
 tifex, Ludov. decis. 4. n. 4. Munoz de
 Escobar de ratioci c. 3. n. 30. Adeo qui-
 dem ut nec prescribi possit ullo tempore
 Alex. conf. 51. n. 2. & Genuens. decis.
 20. n. 12. ex l. vitia C. de acquirend.
 poss. Alex. conf. 99. n. 5. volum. 4.

Ratio verò illa non est vera nisi que
 dati & accepti commemorationem com-
 prehendit Escob d. l. n. 3.

Ad contraria: Christus i. non
 improbavit, sed tentavit ut ignorantiam
 discipuli demonstraret, quia noverat quid
 ipse esset facturus: hoc nescire Philippum
 sciebat similiter, habet August. tract. 28.
 in Johann. & interrogando admonet ut
 miraculum diligentius consideraret, habet
 Chrysoft. hom. 41. in Joh. Ad 2. aliud
 est diffidentia, aliud prudentia: si quis
 ex diffidentia faciat ac si Deus non posset
 ipsum alere & sustentare, improbandum
 omninò; sed prudentia est, si post tantam
 bene-

benedictionem, ubi plus in expensis quam
 in acceptis, Deo gratias agamus & ut porro
 benedicat, sollicitemus: siquidem, quod ha-
 bet Salomon Proverb. 24, 4. Sapientiâ
 edificabitur domus, & prudentia cobora-
 bitur, replebuntur cellaria universa sub-
 stantia preciosa & pulcherrima: Quae et-
 jam requirit calculum, ceu patet ex Luc.
 14, 28. uti in edificatione, ita & in admi-
 nistratione. Quin ipse Deus jussit Eze-
 chielem, ut pararet sibi panem ex variis
 leguminibus ad 390. dies & vesceretur ad
 pondus viginti stateras. 3. Arbitrium
 boni viri non est contra, sed secundum le-
 gem. Nam vir bonus ille est, qui justitia &
 equitatis rationem habet l. 68. ff. de V. S.
 l. 2. ff. de cont. empt. l. 24. ff. loc. Alex
 ab Alex. lib. 6. Genial. dierum. Me-
 noch. lib. 2. c. 13. n. 8. Robert. 4. sent.
 c. 15. unde & iudicis religio l. 2. ff. si usus
 petatur l. 1. §. 2. ff. de rebus eorum, qui sub-
 tut. l. 4. in fin. ff. de eo quod certo lo-
 co, vocatur. Videatur Munoz de ra-
 tiociniis.



Indigus omnis erat populus quicumq³ secu-
tus

Christum, quando sui plurima signa da-
bat.

Ascendit montem: super hunc consedit Iesus:
Festus ubi praesens Paschatos ille dies.

Sustulit ac oculos cernens, quod turba veniret
Multa: rogat panes unde, Philipps, pe-
res?

Sed modo tentabat: respondit at ille: ducentis
Pro nummis panis non satis esse potest.

At quid id est inter tam multos? sumat ut
omnis:

Frustillum poterit vix quis habere cibi.

Mandat at interea Iesus quo prenderet u-
nus =

Quisq³ locum: quod erant millia quinq⁴
virum.

Accepit panes: simul his benedixit, & inter
Sic discumbentes distribuisse iubet.

Quos ubi nunc satias coepisset: colligat, inquit,

Omnia, ne pereant fragmina tanta, volo.

Bis

Bis senosq; sinus cophinorum fragminis im-
plent

Discipuli populo quæ superesse patet.
Hoc cum vidisset populus, sic farier infit

Omnis: venturus, magne Prophetæ, ve-
nis?

Noverat at JEsus venturos, regis honorem,

Collatum; solus culmina montis adit.

Talia DORFFELIUS proponit: at adsit &
idem,

Christus ubi! poterit pagus & esse satur.

ita arbitratur

GUEINZIUS:



02 A 572
(1/2)

ULB Halle 3
003 808 483



1017



EVANG.

CHRIST.

HALLS

Q2 C




Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



RUM
CARUM
icesima
DE
GUEINZIO
allensis
e
nte
ORFFELIO
risko
atate
Ioc.IIIL.
ONUM
elchioris Oel-

